

dores, in quorum Parochiis sitii sunt, aut alios, ad quos de iure & antiqua consuetudine pertinet de talibus inquirere aut etiam per alios quoscunque Diocesis seu Inquisitoribus hereticis pravitatis deserantur: & invocato, si opus fuerit, auxilio brachii secularis per eos taliter puniantur, quod aliis transeant in exemplum.

11. Sessione XX. quatuor procusa sunt decreta: de Concubiniariis: de excommunicatis non vitandis certo modo: de Interdictis non leviter ponendis: & de frivolis appellacionibus; qualia hic subiungimus.

Decretum I. De concubiniariis.

12. Tanto sumus ad concedendum petentibus laudabili per Nos ordinatione statuta & decreta sub forma authentica promovere, quanto ex hoc statutis & decretis huiusmodi circa eorum observationem valeat fides certior adhiberi. Hinc est, quod Nos tenore constitutionum inferius descriptarum, per Nos datum editarum & in sessione publica per Nos in majori Ecclesia Basileensi unadecimo Kalendas Februarii anno Domini M. CCCXXXV. celebrata publicatarum, & apud acta nostra de mandato nostro descriptarum, ad dilectorum Ecclesie filiorum &c. N. & N. qui tenore huiusmodi in iudicio & extra se afferunt inagere, supplicationis instrumentum de actis ipsis extrahi, & presentibus annotari fecimus, quæ sequuntur, in hac verba: Quicumque clericus cuiuscunque status, conditionis, religionis, dignitatis, etiam si Pontificalis, vel alterius præminentie existat, qui post huius constitutionis notitiam, quam habere presumat, per dies menses post publicationem eiusdem in Ecclesia Cathedralibus, (quam ipsi Diocesanum omnino facere teneantur, postquam eadem constitutio ad ipsorum pervenerit notitiam) fuerit publicus concubiniarius, a perceptione fructuum omnium suorum beneficiorum trium mensium spatio sit ipso facto suspensus; quos si Superior in fabricam, vel aliam evidentem Ecclesiarum utilitatem, ex quibus hi fructus percipiuntur, convertat: Nec non & huiusmodi publicum concubiniarium, ut primum talem esse innotuerit, mox suis Superior admonere teneatur, ut infra brevissimum terminum concubinam dimittat. Quam si non dimiserit, vel dimissam aut aliam publice resumpserit, iubeat hac sancta Synodus, ut ipsum suis omnibus beneficiis omnino privet. Et nihilominus hi publici concubiniarii nequequo cum eis per suos Superiores, post ipsarum concubiniarum dimissionem, manifestamque vitam emendationem, fuerit dispensatum, ad susceptionem quorumcumque honorum, dignitatum, beneficiorum, & officiorum sint inhabiles. Qui si post dispensationem recidivo vomitu ad huiusmodi publicum concubinatum redierint, sine spe alicujus dispensationis ad prædicta sint prorsus inhabiles. Quod si hi, ad quos talium correctio pertinet, eos (ut prædictum est) punire neglexerint, eorum Superiores tam in ipsos de neglectu, quam in illos pro concubinato, modis omnibus digna punitione animadvertant. In Conciliis etiam Provincialibus & Synodalibus adversus tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos, etiam per suspensionem a collatione beneficiorum, vel alia condigna pena severiter procedatur. Et si hi, quorum desertio ad summum Pontificem spectat, per Concilia provincialia, aut suos Superiores propter publicum concubinatum reperiantur privatione digni, statim cum processu inquisitionis ipsi summo Pontifici deserantur. Eadem diligentia & inquisitio in quibuscunque Capitulis generalibus aut provincialibus quoad suos servetur: penis aliis contra prædictos & alios non publicos concubiniarios statutis in suo robore permansuris. Publici autem intelligendi sunt non solum hi, quorum concubinatus per sententiam, aut confessionem in iure factam, seu per rei evidentiam, que nulla possit tergiversatione celari, notorius est; sed, qui mulierem de incontinentia suspectam & infamatam tenet, & qui per suum Superiorem admonitus ipsam cum effectu non dimittit. Quia vero in quibusdam regionibus nonnulli iurisdictionem Ecclesiasticam habentes, pecuniarios questus a concubiniariis percipere non erubescunt, patiendos eos in tali feditate sordescere; sub pena maledictionis eterne precipit, ne deinceps sub pacto, compositione, & spe alicujus questus talia quovis modo tolerent aut dissimulent: alioquin ultra præmissam negligentiam panam, duplum ejus, quod propterea acceperint, restituere ad pios usus omnino teneantur & compellantur. Ipsas autem concubinas seu mulieres suspectas Prelati modis omnibus curent a suis subditis, etiam per brachii secularis auxilium, si opus fuerit, penitus arcere: qui etiam ex tali concubinato procreatos filios apud patres suos cohabitare non permittant. Iubet insuper hac sancta Synodus, ut etiam in prædictis Synodis & Capitulis hæc constitutio publicetur, & quilibet suos subditos ad ipsarum concubinarum dimissionem moneat diligenter. Injungit præterea omnibus secularibus viris, etiam si Regali præfulgeant dignitate, ne ullum qualcumque inferant impedimentum quocunque que-

sit colore Prelatis, qui ratione sui officii adversus suos subditos pro huiusmodi concubinato procedunt. Et cum omne fornicationis crimen lege Divina prohibuitur sit, & sub peccati mortalis pena necessario vitandum, moneat omnes laicos tam uxoratos quam solutos, ut similiter a concubinato abstinere. Nihilominus reprehensibilis est, qui uxorem habet, & ad alienam mulierem accedit. Qui vero solutus est, si continere nolit, juxta Apostoli consilium uxorem ducat. Pro huius autem Divini observatione præcepti, hi ad quos pertinet, tam salutariibus monitis, quam aliis canonicis remediis omni studio laborent.

Hæc Basileensis constitutio, cum aliis tribus, quæ sequuntur, Decretis, traducta est ab hac sessione vigesima Concilii Basileensis in Pragmaticam Sanctionem in Bituricensi Gallicanorum Presulum conventu sub regno Caroli VII. Francorum Regis procuratum: posteaque ex Pragmatica Sanctione in Concordatum Leonis Papæ X. & Francisci I. Francorum Regis transfusa, in quibus pariter inferuntur tria alia, que hoc loco subijcio, Basileensis decreta. Hic obiter observa, omne fornicationis crimen esse mortale.

Decretum II. De excommunicatis aliquo modo non vitandis.

13. Ad evitandum scandala & multa pericula, subvertendumque conscientis timoratis; statuit etiam, quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum administratione aut susceptione, aut aliis quibuscunque divinis, vel extra, prætextu cuiuscunque sententie aut censura Ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis ab homine vel a iure generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura huiusmodi fuerit in, vel contra personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, aut locum certum, aut certam, a iudice publicata vel denunciata specialiter & expresse: aut si aliquem ita notorie in excommunicationis sententiam consisterit incidisse, quod nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo modo iuris suffragio excusari: nam a communione illius abstinere vult juxta canonicas Sanctiones. Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.

Observe tamen, aliter Decretum istud refertur a Concilio Constantiensi, a quo primum fuit editum, & deinde approbatum a Martino V. Pontifice, & aliter ab insequuto Concilio Basileensi. Constantiense enim plus attribuit privilegio, quatenus a communicatione cum excommunicato non denunciato, sed tamen ita communiter noto, ut nulla tergiversatione celari possit, solum excludit a privilegio notorium Clerici percussorem, nullatenus vero alias quascunque non denunciatas, quantumvis publice notas excommunicationes, per hæc ipsius verba: Nisi quem pro sacrilega manu iniectione in Clericum sententiam latam a Canone adeo notorie consisterit incidisse, quod factum nulla possit tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari. Cum tamen paulo ante relatum Basileense decretum, generaliter & indiscriminatim omnes publice notorios, tametsi non denunciatos, excommunicatos comprehendat, nec cum his communicantes participes fiant privilegio amoventis penam minoris excommunicationis. Pragmatica quidem Bituricensis sanctio, & posterius Concordatum, quale refertur in Lateranensi Concilio sub Leone, a quo Concordatum confirmationem accepit, conformantur decreto Basileensi; sed communis tamen praxis tam intra quam extra Gallie regnum, simulque communis omnium fere Theologorum & Canonitarum scriptorum relatio & assertio conformis est Constantiensi Concilio: sic enim referunt S. Antoninus 3. p. summae Historialis tit. 22. §. 4. & in 3. p. summae Theologicae tit. 25. cap. 2. & 3. Angelus de Clavaſio seu summa Angelica v. Excommunicatio 8. n. 3. Gabriel Biel in 4. sententiarum dist. 18. quaest. 3. Hadrianus Papa in 4. sent. tit. de sacram. Euchar. & in tract. de clavibus Ecclesie, Cajetanus in summula, v. Excommunicatio & v. Abolutionis impedimenta, & in 3. p. S. Thom. q. 64. art. 3. Armilla v. Excommunicatio 3. n. 4. Dominicus Soto in 4. sent. dist. 22. q. 1. art. 4. Covarruvias in cap. Alma mater, p. 1. §. 2. n. 9. Suarez disp. 9. sect. 9. n. 9. & tract. de fide, dist. 21. sect. 3. Toletus in summa lib. 1. c. 12. & plerique alii. Hoc idem de recepto Galliarum usu secundum Constantiense, non Basileense decretum, testificatur novissime Jacobus Evellonius in suo Gallicano & pererudito tractatu de Excommunicationibus. Tot vero tantæque anxietates & conscientiarum perturbationes nascebantur ex illa veteri communicandi cum excom-

excommunicatis prohibitione, ut plus quam trecentis ante Concilium Constantiense annis gravissimum scriptor Ivo Carnotensis episcopus. 82. enixe conatus sit, ut omnes istæ tollerentur prohibitiones communicandi cum hominibus excommunicatis, præterquam cum illis quos Ecclesia publice declarasset vitandos. Sic enim ait: Non tamen nominatis excommunicatis, sive Capitulo sive in Concilio facta sit illa excommunicatio; sive sint Simoniaci, sive Presbyteri uxorati, idem consilium est, quo de ipsis criminosis, quia non sunt e communione suspendendi, nisi publice convicti aut publice confessi.

Tertium Basileense decretum de Interdictis non leviter ponendis.

14. Quoniam ex indiscreta Interdictorum promulgatione multa consueverunt scandala evenire; statuit hæc sancta Synodus, quod nulla civitas, oppidum, castrum, villa aut locus, Ecclesiastico supponi possit interdictio, nisi ex causa seu culpa ipsorum locorum, ac Domini sive rectorum vel officialium. Propter autem causam aut culpam alterius cuiuscunque privatae persone, huiusmodi loca interdicti nequaquam possint auctoritate quacunque ordinaria, vel delegata; nisi talis persona prius fuerit excommunicata, ac denunciata, seu in Ecclesia publicata, ac Domini seu rectorum vel officialium ipsorum locorum auctoritate iudicis requisiti, huiusmodi personam excommunicatam infra biduum inde cum effectu non egerint, aut ad satisfaciendum compulerint: qua etiam post biduum ejecta, recedente, vel satisfacta, mox divina veluti possint. Quod etiam in pendentiis causis locum habeat.

Quartum Basileense decretum contra frivole appellantes.

15. Ut lites citius terminentur, super eodem gravamine, aut super interlocutoria eadem definitiva non habente, nullatenus liceat secundo appellare. Quodque ante definitivam frivole vel injuste appellans ultra condemnationem expensarum, damnorum, & interesse, in quidem florenis auri de camera patri appellata per appellationis iudicium condemnatur. His quadrat Tridentina sessio sess. 13. de reform. In causis visitationis & correctionis, sive habitatis, nec non criminalibus, ab Episcopo seu illius in spiritualibus Vicario generali ante definitivam sententiam ab interlocutoria vel alio quocunque gravamine non appellatur: Nec Episcopus seu Vicarius appellations huiusmodi tanquam frivole deferre teneatur, sed ea ac quocunque inhibitione ab appellations iudice emanata, nec non omni stylo ac consuetudine etiam immemorabili contraria non obstante, ad ulteriora valeat procedere, nisi gravamen huiusmodi per definitivam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiva appellari non possit.

His convenit decisio capituli, cum cessante, de appellatione. Possit scilicet iudicem Ecclesiasticum, sive sit ordinarius, sive delegatus, etiam post appellationem reparare suæ interlocutorie gravamen, atque ita effectum appellationis impedire, & sic in causis principalis cognitionem usque ad iudicium definitivum procedere; re adhuc integra necdum ad superiorem iudicem devoluta, ne processus cause principalis frivolis occasionibus inciditibus retardetur. Additque glossa in d. c. cum cessante, post iudicem suæ interlocutorie gravamen reparare etiam post decem dies, re tamen adhuc integra necdum ad cognitionem superioris iudicis devoluta. A correctione quoque legitima modum, vel statutum canone prescriptum non excedente, non admittitur appellatio: quæ si interjiciatur, non ideo tamen differtur correctio, ne detur occasio licentius delinquendi, c. ad nostram, de appel. Quod idem decernitur Gallicanis edictis Caroli noni anni 1571. art. 5. & Basileensium comitorum sub Henrico tertio art. 57. Constituit etiam l. eos, §. super, de appel. in causa criminali, si a decreto vel a processu appellatur, non debere per hoc retardari aut suspendi processum, ne inter moras probatio dispareat, maneatque delictum impenitum.

16. Per multa alia decrevere Basileenses Ecclesiasticæ reformationi conducibilia, sed nulla legitima fulti auctoritate summi Pontificis, cui bellum indixerant, & quem gradu Apostolicæ dignitatis dejicere satagebant: eoque demum rebellionis adversus illum progressi sunt, ut selectis ad libitum certis quibusdam hominibus, potestatem (si superius placet) tacerent novum Papæ seorsum intra quoddam conclave eligendi, a quibus dum festo agebatur Concilii huius trigesima nona, electus in eum gradum fuit Amadeus Sabaudie Dux, qui tunc temporis cum subditis sibi quibusdam Optativibus, Ripalia loco ditionis suæ amonissimum quali in secessu aetico communiore anachoreticum vitam debebat, abdicatis tan-

tisper sæculi curis, quas in filium futurum sibi successorem rejecerat. Hanc electionem universis Basileensium cætus letanter excepit, & confirmavit, dum ageretur sessio trigesima nona.

DIATRIBA ECCLESIASTICA

De Communione Eucharisticæ sub una, vel duabus speciebus.

1. Basileenses Patres multum opere studique navarunt in reducendis Boemis & Moravis ad Catholicæ unionem Ecclesie, non solum ut eorum æterna saluti confulerent, verum etiam ut atrocissima competerentur bella & horrendæ hostilitates, quibus effere ille gentes assidue Catholicos infestabant. Per multos hinc inde negotiationibus pax illa tentata agitataque fuit, ac demum conciliata & perfecta, dum agebatur Basileensium sessio undecima: quam Historiam præter acta Concilii referunt Aneas Silvius Historiæ Boemice c. 57. & Joannes Coeleus Historiæ Hussitarum lib. 7. Per Oratores & litteras, tum Concilii, tum Sigismundi Augusti Bohemi & Moravi, invitati ad redintegrandam pristinam cum Ecclesia Catholica unionem, se ab ea non fore alienos professi sunt, dum servarentur conditiones his quatuor propositionibus comprehensæ; quarum prima erat: Ut Communione Eucharistica sub utraque specie universis Christi fidelibus in regno Bohemia & locis ei adhaerentibus per Sacerdotes libere administraretur. Secunda: Ut peccata per eos, quorum interest, rationabiliter & secundum legem Dei corrigantur. Tertia: Ut Verbum Domini a Sacerdotibus & Levitis idoneis libera & fideliter predicaretur. Quarta: Ut non liceret Clero super bonis temporalibus seculariter dominari.

Responso Concilii ad primam propositionem fuit ista, ut quoniam generalis consuetudo Ecclesie communicandi sub una tantum specie multis de causis rationabiliter introducta non posset reprobari, aut sine Ecclesie auctoritate pro libito immutari; posset autem suadentibus rationabilibus causis Communio sub utraque specie ab eadem Ecclesia concedi: si id omnino Bohemi contenderent, sacrum Concilium Sacerdotibus eorum facultatem concessurum sub utraque specie populum, eos videlicet qui in annis discretionis constituti essent, atque id reverenter postularent, communicandi: hoc semper observato, quod Sacerdotes sic communicantibus semper dicerent: Debere eos firmiter credere, quod non sub specie panis caro tantum, nec sub specie vini sanguis tantum, sed sub qualibet specie est integer Christus totus.

2. Ad secundam propositionem responsum est, ut demptis ab illa verbis: Quorum interest, tanquam nimis generalibus, diceretur, corrigenda fore peccata, secundum legem Dei & Sanctorum Patrum instituta.

3. Ad tertiam vero, sic illam esse propositionem concipiendam, ut fieret peccatorum correctio ab idoneis, & per Superiores, ad quos pertinet, approbatis & missis, libere, non tamen passim; sed ordinate & fideliter: salva auctoritate Pontificis, qui est præordinator in cunctis juxta Sanctorum Patrum instituta.

4. Ad quartam denique: Quod Ecclesiastici viri bona Ecclesie, quorum sunt administratores, fideliter administrarent juxta Sanctorum Patrum salubria instituta: ipsa que bona Ecclesia ab aliis quam ab his, quibus administratio canonice est commissa, usurpari sine sacrilegi reatu non possent. Provisum pariter fuit, ut si contingeret alicubi ab aliquibus privatim conventa violari, ut in populorum multitudine aliquos inordinate ac præter officium agere facile contingit, ne illa licentia communi paci officeret, aut sancta conventa inturbaret. Qua præcautione obviam multis similitudinibus itum est. Quibus demum conditionibus post multos tractatus & disputationes ultro citroque habitas, inita est concordia ultima die Novembris, qua festum sancti Ahdæe Apostoli consuetum est celebrari, anno Christi 1433.

5. Ad enucleandam vero questionem de unica Sacramenti usitata specie, Scripturarum Divinarum loca nonnulla indicio sunt, illam ab instituto Christi minime recedere, aut alienam nullatenus esse. Legimus enim Lucæ 24. Et factum est, dum JESU recumberet cum eis, accepit panem & benedixit, ac fregit, & porrigit illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum, & ipse evanuit ex oculis eorum. Augustinus lib. 3. de consensu Evangelistarum cap. 25. Auctor Operis imperfecti homil. 17. in Matth. Beda, & Theophylactus in eundem locum Lucæ. Hieronymus in Epistaphio Paulæ, & Hesychius lib. 3. Levit. c. 9. docent, Christum dedisse duobus discipulis in Emmaus Eucharisticæ Sacramentum. Præterea actum 2. Erant autem perforant-